



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XII. In Dominica Septuagesimæ. Quid hic statis otiosi? Matth. 20. Arg.
Hostis sine manibus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)



CONCIO XII.

IN DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Quid hic statis otiosi?

Matth. 20.

ARGUMENTUM.
HOSTIS SINE MANIBUS.

I. **Q**uonam in statu versamur, *Aud.?* Gaudemusne pace, an bellis divexamur? Degimusne inter domesticos, & amicos, an inter hostes commoramur? Equidem primâ fronte securos nos arbitrabar ab hostibus, suavissimôque gaudere pacis amplexu; at cum stationes plerasque, ac diversoria excutio, deprehendo illa referta hostibus, & quantumvis mancis, claudis, imbellibus; ab iis tamen non minùs, quàm à validis timendum.

Lacedæmoniis, mirificis molibus, obfirmatâ urbe suâ, Delphos ad Tripodem Oratores suos destinârunt, indagaturos, quemnam hostium abhinc timerent? Responsum paucis oraculo: *Hostem sine manibus metuite.* Paradoxum id visum multis, & prope ridiculum. Quid enim obesse, aut nocu-

menti adferre posset hic hostis? Numquid arma intentare, aut propulsare? Numquid conferere manus, sollicitare arcus, jacere tela? Numquid arietare muros, aut cuniculis subruere? Numquid ferro, aut igni devastare oppida? *Hostem sine manibus metuite.* O hostem inficetum! ô hostem formidandum! scilicet!

Attamen sapientibus oraculum istud neutiquam contemnendum visum; esse nimirum hostem destitutum brachiis, quem amplius reformidarent dexterâ potentem. Quemnam autem illum? Nempe Otium, ac confæderatos ipsius socios, torporem, languorem, desidiam. Ut civitas incolumis subsistat, hunc hostem expavescat; crudeliùs iste sævit, atque quivis alius brachio, ferroque metuendus.

Quod Apollo Lacedæmoniis edixit

de ipsorum Urbe, idem ego omnibus enuntio: *Hostem sine manibus metuisse.* Ne steteris tota die otiosi. Hostis hic gravius vobis nocebit destitutus manibus, quam quivis alius, viribus, & lacertis præditus. Quod ostendam.

PARTITIO.

II. **P**Tolomæum Laturum Ægypti Regem, Tritularem, quasi trium telorum indigitatum, asserit Strabo, eò quòd vastitatem bonorum, & domorum, & corporum inferret. Supparem Tritularem hostem meritò affirmo esse Otium, cum adjuncta sibi, fœderataque cohorte tepiditatis, negligentia, desidia, & similibus. Etenim & istud non modò in bona fortuna, sed & corporis ac animæ depugnat.

Strabo lib.
17.

§. I.

Otium ad incitas redigit.

III. **D**E damnis fortunarum ab eo illatis loquitur Sapiens in Proverbiis: *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus tuas ut dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & quasi vir armatus pauperies.* q. d. Si manus remiseris, expecta duos hospites, Viatorem unum, Militem alterum. Uterque istorum nequiequam secum adfert, ad comedendum, nihil apponit, sed alienum præstolatur, & unus quidem emendicat, alter autem per omnem vim eripit. Sed quodnam mysterium profundius sub his hospitibus absconditum? Maximum

Otium
subvertit
opes.
Prov. 6.
v. 10.

sanè. Demonstrat enim, duplices inveniri homines in mundo per socordiam ad incitas proruentes. Primi sunt, ad quos clanculum venit Paupertas tanquam viator, ac mendicus. Alii, ad quos cum tumultu, ac imperu, perinde atque armatus irrupit.

Ad illos venit Pauperies clam, qui audiunt hinc & illic nundinas futuras, & dormiunt. Audiunt forum plenum mercibus, nec comparant; audiunt occasionem lucri ad manum esse, & despuunt; vident tempus esse laborandi, & fallunt illud otio, lusu, faceris, itineribus ad solaria captanda susceptis, aut prorsus inutilibus officiis. His venit, quasi viator, sensim sine sensu Egestas, dum exponunt indies, & nec quicquam inferunt.

Paupertas
sentes.

IV. In procinctu bellico contra Davidem, obdormiverat Saul in umbilico prorsus exercitus sui, securus undique ab hoste; & ecce nocte concubiâ adreppit David, surripit scyphum aureum, hastamque, & abiit. Potuisset sanè longè plura tollere, nisi discretionem uti voluisset. At eâ neutiquam utitur hostis sine manibus, Otium; tollit omnia, nec panis fragmenta subinde relinquit. Dum enim quispiam illi indulget, rapit sensim divitias, tum supellectilem, denique vestes. Ita ut in triplici choro illud Davidicum carmen occini queat: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis.* Nihil in domo, nihil in horreo, nihil in vivario, nihil in campo, aufert cuncta Viator Egestas, & abiit.

1. Reg. 6.

Psal. 75.

V. Erutius Eliora conquestus, quòd post somnum quem vis, ita opprimere-

Eliora
casus.

tur,

Plut. in
Attic.

tur, ac si centenarius illi appenderetur, nullâ Medicorum operâ levare, aut curari potuit. Accidit autem, ut casu in campo quopiam lassus somnum caperet, quod videns peregrinus quispiam furcifer, tulit gladium ipsius, pallium, cultrum, marsupium, & fugit. Expergefactus Eliota, & advertens, quod vix thoracem, indusiumque retinisset, proripuit sese, exululando: *Hic mihi medicus, qui me adeo post somnum levem fecit.* Per similes peregrinus viator Otium, te stertente, & negligente negotiata; adrexit ille, & hodie tollit cruceenam, cras pallium, aut pelles, deinde frameas, enses, supellectilem, tamque levem reddit, ut omnia tua tecum ferre sub axilla queas. *Veniet sicut Viator Egestas.*

Paupertas
cui vir
armatus.

VI. Sed quid est, quod sicut vir armatus irruere dicatur? Paupertas adumbratur nobis in panno veteri, in centonibus, & nuditate, ex adversum miles non tantum amictus, sed & loricator. Illa infirma, & fracta viribus; hic fortis, & validus; illa prensans circumquaque, nihil invenit, hic auro, argentove gravis. Quam ergo habet proportionem hic cum illa; aut illa cum isto? Maximam profectò.

Otium
malorum
origo.

Audistis, quod nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur. Individui prope ipsorum comites sunt furores, perjuria, oppressiones, furta, cædes, aliaque flagitia Marti consanguinea. Eadem parentela est Otii. Nihil videtur agere, & nihil malignitatis omittit, perinde ac si in corruptæ conditionis gymnasio omnia vitia disceret, ac exerceret.

Nihil agendo, homines malè agere perdidissent, ajebat Cato. Foris otium est, sed intus vitia fremunt, garrulitas, mollietates, petulantia, audacia. Per hoc ducimur ad captandos popularis auræ favonios, per hoc allicimur ad gastrimargiam, invitamur ad lasciviam, ad calumnias proximo confingendas, & sexcenta alia flagitia.

M. Cato.

Audistis, vel etiam experti estis ut milites cum, clamore tumultu, imperio irruant, & occupent urbes, & despolient. Eadem conditio aliorum desidum, qui non tempus duntaxat in otio transducunt, sed insuper per comessationes, symposia, luxum, dilapidant substantiam à parentibus derelictam. Hodie exponunt florenum pro lusu, cras aleorum pro vino, perendie aureum, aur supra pro epulo ac symphonia. His certè venit paupertas, quasi vix armatus; non furtim, sed palam & omnibus vicinis inspectantibus, & stupentibus; his calicibus perinde ac sarisâ, & frameâ insonat, vinumque loco sanguinis fundit. At ubi intraverit, haud levi brachio proturbabitur. *Cum fortis armatus,* inquit aeterna Veritas, *custodit atrium suum, in pace sunt omnia.* Profectò, nisi summo labore, ac nisu adhibito, eum non vinctes, nec elides.

Luc. 13.

Audistis, vel etiam experti estis, ut miles in hostico omnia diruat, aut incendat. Id ipsum molitur torpor, ac desidia, diruit, subvertit omnia. Ob pigrum enim, ac negligentiam initio parvam, sed longiore tempore continuatam, in avertendis parvis noxiis & damnis; seu rimis, & stillicidiis, tandem debilitatur, marcescit,

Otium
urbes sub-
vertit.

fatiscit, corrui domus. *In pigritiis*, ait Ecclesiasticus, *humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.* q. d. Incuria rerum quæ presentium, quæ futurarum in causa est, quod domus, æternitati prope ferenda par corrui, ac fatiscat.

VII. Contari libet, quidnam civitates opulentissimas, Sodomam, Gomorrhã, aliãque finitimas everterit? Si audire responsum lubet, dicet Ezechiel Vates: *Hæc est iniquitas Sodome.* Alter textus legit: *Hæc est subversio Sodome, sororis tuæ, superbia, saturitas, panis abundantia, & otium.* Si domus, si civitas vel ex ipsis petris excisa esset, vel ære fusa, admitteretque inquilinam socordiam, pigritiam, otiositatem, proruat, necesse est.

VIII. Brusonius de Illyrio Urbe Græciæ testatur, ita subversam, ac solo æquatam, ut nec lapis super lapidem remanserit. Quæ autem de causa? quo milite suffodiente? *Ob festa, ob ferias.* Hinc illud lemma tulit æternitati sacrum: *Illyrium periit, quia multa festa celebravit.* Hodie festum, cras festum, hodie Neomenia, cras Patrocinium, perendie Sabbathum, hoc illos perdidit.

Ita si apud nos frequenter die Lunæ celebretur festum Sodalitatis, die Martis Confociationis, die Mercurii Edormitionis; die Jovis Studiosorum, die Veneris primum eatur ad labores; timendum, ne tandem serò, & jam irreparabili docti malo sapiamus. Timendum, ne veniat his omnibus sicut viator egestas, & quasi vir armatus pauperies.

§. II.

Otium enecat pigrum.

IX. Aliud damnum, quod hostis visibilis inferre potest, est mors corporis. At nunquid hostis sine manibus eandem non infert? Quæramus ex eodem Sapientiæ oraculo Salomone, quid dicat: *Stultus*, ait, *complicat manus suas, & comedit carnes suas.* Stultum nuncupat otiosum, tanquam cognomento proprio; quoniam si omnis impius est stultus, palmam inter eos obtinet desidiosus. Etenim *Qui sectatur otium, stultissimus est*, ait idem in Proverbiis. Quemadmodum sapiens est, qui attingit à fine in finem fortiter, & disponit omnia suaviter, qui omnia opera sua in certum dirigit finem, & ad avertenda mala, bonaque comparanda intendit animum: ita è contrario sideratus ille est, qui nec finem sibi proponit, (utpote nunquam eundem per otium indepturus) nec unquam, aut perrarò manum admoveret. *Complicat enim, manus suas*, quasi faciendo pactum cum otio, & obligando sese ad non laborandum. Siquidem qui pacisci solent, manus sibi dare, ac stringere consueverunt. Vel certè complicat ad removendam, & alienandam à se omnem fatigationem. Quoniam sicut miles abnuens dimicare, recondit ensẽ in vaginam, & manus sub axillas; ita & otiosus operit unam manum alterã, tanquam instrumentum operis, ne laborare cogatur. Vel etiam complicat manus suas, ne ad os suum extendat illas,

*Otiosus
cur manus
complicet.*

Prov. 19-
v. 24-
las, interprete eodem Sapiente : *Ab-
scondit, ait, manum suam sub ascella, nec
ad os suum applicat eam.* Mavult enim
fame emori, quàm exiguo labore sibi-
met subvenire.

Lorin. h. l.
Notat autem Lorinus, quòd in He-
bræa phrasi pro ascella ponatur olla;
quasi dicat, est tam piger, ut habendo
manus sub olla, in qua sunt cibi, ipse
malit fame emori, quàm manum ex-
tendere.

Ibid.
XI. Firmatur sensus ex eo, quod sub-
jicit: *Comedit carnes suas.* Quâ petis ra-
tione id dici queat? Non te lateat, S.
Hieronymum in sensu mystico id inter-
pretari, & definire, quòd delicietur in
carne sua, ejusque blanditiis, quasi e-
pulis quibusdam saturetur. At nihil ve-
tat, cum citato Lorino in sensu literali
id accipere, quòd nimirum tandem præ
dolore ac rabie propriam carnem lace-
ret, quasi vindicando pigritiam suam,
ad instar fulminatorum illorum, de
quibus Apocalypticus Vates: *Comman-
ducaverunt linguas suas præ dolore.*

Apo. 16-
10.
Vel itidem potest intelligi, quòd pi-
ger, & desidiosus devoret carnes suas,
quia ex defectu alimenti exterioris, ea-
lor naturalis absument carnes proprias,
(quandoquidem sibi non providit de
cibo competente) easque depascitur.
Comedit carnes suas.

Vel tandem defendi potest pigrum
se ipsum interimere, eò quòd sanitati
summè officiat otium. Nam quemad-
modum ferrum in otio consumitur à
rubigine, aqua nisi moveatur marcescit,
aër itidem nisi à ventis agitur, vitium,
luemque trahit, terra immota silvescit,
ignis extinguitur; resque prope omnes

citra motum enervantur: ita non mi-
nus otiosus corrumpitur interior, &
demoritur. *Stultus complicat manus
suas.*

XII. Vix puto rem tam noxiam, tam-
que exitialem humano corpori, atque
sepulchrum. Sit homo ad omnem spe-
ciem, ac formam elaboratus, sit leoninis
præditus ossibus, sit marmoris instar
compactus, si biduo, triduo ve jaceat in
sepulchro, amittit omnem decorem,
omnes vires, omne robur, & in putre-
dinem degenerat. Jam verò quid putas
otium esse, Torpedo rationalis? *Est vivi
hominis sepultura,* ait Doëtor Africa-
nus. In otio perinde ac in sepulchro
fracescis, imputrescis, scetidamvè in me-
phitim converteris.

XIII. Intelligebat id probè Turcia-
nus, Caji Imperatoris Aulæ Præfectus;
à quo, ob grandævam jam atatem, mo-
tus officio, ut quod reliquum habebat
vitæ otio transigeret; composuit sese
ad lectum instar mortui, imperavitque
familia se coronanti, quatenus tan-
quam mortuum deploraret; nec tem-
peravit à luctu, quoad pristino redona-
retur officio, exiltimans tantumdem ef-
se in otio degere, quantum deferri ad
sepulchrum.

At non intelligunt hoc illi Patres fa-
milias, qui vel ad abacum cum cantha-
ro, aut chartis lusoriis tempus diei fal-
lunt, aut in plumis ad diem illustrem
nidulantur. Non hic, non hic modus
plumescendi est, aut altiùs evolandi.
Non nascitur ex plumis decus Orientis
Phœnix, sed putredo, & vermis. Non
intelligunt ii studiorum alumni, quo-
rum tota mens fixa est in recreationi-
bus,

Otium se-
pultura.

S. August.

Seneca.

bus, luffibus, crepundiis. Hi enim verè in pulvere ſcholastico dormiunt, & ſi manè illos quæſiveris ad orationem, ad penſum reddendum non ſubſiſtent. Non intelligunt ſervi, quibus omnis labor gravis, omnis ſudor agonia eſt. Hi manus habent & non palpabunt, manus habebunt, & non ambulabunt. Quidni idola, aut cadavera dixeris? Non intelligunt virgines, quæ ſi ad colum ſedere, & nere cogantur, autumant ſe mundi rotam, aut cæli orbitas verſare; aut tribus digitis Dearum inſtar ſuſpenſam tenere molem terræ. Non intelligunt ancillæ, quæ vel domum everrere, vel quidpiam aliud verſare citra ſtimulum abnuunt. Et iſtæ vel ex eo ſeſe cadavera fœtida ſentiant, quòd omnibus exoſæ ſint; omnibusque execrabiles. Sentiant & alii ſeſe Lazaros eſſe, eoſque non quatruiduanos, ſed octiduanos, imò annuos. Sentiant morticina abominabilia, & ab oculis hominum amovenda. Siquidem *Orium eſt vivi hominis ſepultura*; ſiquidem rarus eſt, qui hominem ignavum, ac deſidem non deteſterur, & tanquam cadaver putridum non amander.

§. III.

Orium offocat ſpiritum.

XIV. **M**aximum autem huius hoſtis damnum eſt, quod nec ſpiritu parcat, quod non tantum corpus à laboribus, ſed & ſpiritum à ſuis functionibus avocet; quod non corpus duntaxat ſenſim ſine ſenſu perimat, ſed & animam occidat. Etenim cum mo-

*Orium
enecat
ſpiritum.*

duſ operandi ſequatur modum eſſendi, & quævis res tantum vitæ participet, quantum operationis; piger qui nihil omnino agit, vel mortuus eſſe, vel non eſſe videtur.

XV. *Vita* deciſore, ac definiſore Marfil. Marſilio Ficino, nihil eſt aliud, *quàm* Fic. lib. de anima motus, & actus. Et tantò excellentius ens unumquodque vivit, quanto excellentius movetur. anima.

Argumento ſit Deus ipſe, qui eſt ens per eſſentiam, ut apud Moyſen ipſemet fatur: *Ego ſum, qui ſum*, qui eſt *Via, veritas, & vita*, ut itidem ipſe apud S. Joannem teſtatur, & ideo actus puriſſimus ſine admixtione omnipotentia, nec ceſſare ab opere poteſt, nec otio locum dare. Unde Aſſertor noſter de ſua, & Patris æterni Divinitate differens ait: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*. Gaudent divina perpetuo motu, & jugi agitatione ſeſe vegetat æternitas, & quod nos vocamus laborem, illorum natura eſt. Ut indefeſſa vertigo cælum rotat, & maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare Sol neſcit: ita quod divinum & æternum eſt, perenni gaudet operatione. Deus actus puriſſimus Exod. 3. v. 14. S. Ioan. v. 17.

Secundùm Deum in eminentiore gradu conſtituti ſunt Angeli, ſed & illæ puriſſimæ mentes otia ignorant, & Divinam Majestatem in occiduo efferunt præconio. Exinde alæ iis appinguntur, quod eorum motus ſint velociffimi, velociffimus ſamulatus, atque ſubita mandatorum Dei executio. Dum enim moventur, volant, & cùm in loco debito quieſcunt, in altis habitant, ne procul abſint ab eo, qui in altiffimis habitat.

Ex

Ex empyreis sedibus si oculos ad ima deflectamus, intuebimur arbotes multo perfectiores, (quantumvis duntaxat sese vegetent, ipsa terrâ inertî, ac immobili; his rursus eminentiora animalia sensitiva, & de loco ad locum progredientia; rursus omnibus his præstare homines perfectos, & ratione, ac sensibus debito modo utentes. Cùm itaque otiosus nec moveatur, nec agat quidquam, nec vivere censendus; vel certè vitâ tam miserâ, quæ vix adæquet vitam stiptum. An non igitur meliore Calepino, stipites ac fustes, quàm homines nuncupandi?

XVI. Nec sibi hîc quispiam persuadeat, se operari multum, si nullum non moveat lapidem, ut genio indulgeat, ferviat voluptatibus, opes accumulet, popularem auram aucupetur. Non enim operationum nomenclatura digna sunt, quæ Dei opera non imitantur. Non merentur vocabulum motus, & actus, quæ à rectitudinis, & virtutis amussi deflectunt; non possunt dici esse & subsistere, quæ in se sunt nihil, seu peccatum. Hoc enim unicum est nihil, quod sine Deo factum est, ut loquitur S. Augustinus. Hoc est, quod teste S. Anselmo, ipsum hominem redigit in nihilum. *Quoties, inquit, à bono devias, à Verbo te separas, quia ipsum est bonum, & ideo nihil efficeris, quia sine Verbo, es, sine quo factum est nihil.* Privat enim peccatum gratia, privat Deo, qui est vita animæ; & in quo vivimus, movemur, & sumus. Etsi enim per peccatum, humanam naturam, caducaque bona non amittat homo; attamen amittit bonum, & esse gratiæ, quod est præstantius

humana, & est ipsa vita animæ. Hac quicumque destituitur, jure illud sibi occinere potest: *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Ad nihilum prope corporis, ad nihilum animæ, & ignoravi hostem sine manibus tantis me bonis spoliasse, tanta vulnera intulisse, bonis omnibus depeculatum esse.

PERORATIO.

XVII. **V**Ah & nos etiamnum hostem tam enervem, & imbellem, hostem sine manibus inultum grassari sustinebimus? Etiamnumne nos ultro ad incitas redigere, corpus interimere, spiritum offocare patiemur? Macti animis Aud. apprehendite arma, vires exerite, stringite dextras; & si bona fortunæ, bona corporis susque deque ducitis, minimum pro vita spiritus desudate; pro anima laborate.

Non ausus est Triphonis exercitus infestare exercitum superstitem Jonathanæ, videndo quoniam pro anima res illis est; nec præsumet torpor nos lacessere, & infestare, si pro eadem nos steterimus.

Fuit hæc olim Helvii Pertinacis Imperatoris tessera: *Militemus.* Fuit illa Septimii Severi itidem Caesaris: *Laboremus.* Nos utrumque jungamus; & militemus, & laboremus, minimum pro anima nostra. Militemus contra hostem tam mancum, sociasque illius phalanges, pigritiam, desidiam, somnolentiam, tepiditatem. Laboremus in vinea animæ nostræ excolenda strenuè desudantes. Militemus & laboremus, quia magnum strenuos

O milites

Malè operans nihil operatur.

S. Aug. in e. 1. Ioan.

S. Anselm. lib. Solil. c. 5.

1. Mach. 12. v. 51.

Psal. 77. v. 9.

Matt. 20. milites manet stipendium, magna merces gnavos operarios. *Quod justum, inquit, fuerit, dabo vobis.* Immo plus quam justum fuerit, rependet. Si quis sese exercebit pœnitentiæ asperitatibus, referet suavissimas delicias; si se demiserit ad ministeria humilitatis abjectissima, referet sublimationem ad summas empyreæ gloriæ curules; si amplexurus est consilia Evangelica, referet inæstimabiles thesauros; si patienter sustinuerit momentaneas tribulationes, referet dulcem securam æternam requiem; referet in omnibus plus, quam credi potest.

Euc. 22. *Militemus, & laboremus*, provocati exemplo ducis, & vindicis nostri in horto Gethsemani usque ad sanguinem desudantis. *Factus est sudor ejus, sicut sudor sanguinis decurrentis in terram.* Militemus, & laboremus, stimulati tot generosis facinoribus sanctorum Martyrum, & Confessorum. *Militemus & laboremus*, incitati vel ab ipsis mundanæ gloriæ sectatoribus, vel Mammonæ mancipiis. Pi ô! quantis illi gravantur oneribus, quantis curarum coronantur turmis, quantis fodicantur dolorum stimulis.

Solum. Non piguit sub Ramise Ægyptiorum Rege, torum prope regnum, periodos annorum, vicenas impendere in formanda una mole, nulli præterquam oculorum, & vanæ ostentationis illudioservitura. Non piguit in indagando Lunæ cursu, aut in quadrando rotundo circulo, cursum vitæ alios exigere. Non piget etiamnum per mare, per terras, lucellum unum, alterumve insequi. *Val.* & pigebit pro cælesti patria, pro

sempiternis delitiis, pro gloria perennatura paululum desudare? Pigebit dimidium laboris cælo indipiscendo impendere, quod consecratur cœno coacervando? Pigebit tantum conferre studii ad exornandam animam futuram Regis Regum sponsam; quantum dicatur corpori, mox esca vermicibus futuro.

Frustra in clamo, piget, pudetque etiamnum multos.

Refert Discipulus de tribus fratribus inter sese certantibus, quisnam eorum videretur præ altero male feriat. *Discipul. Dom. Serag.* Primus dixit, se malle fame perire, quam surgere, & pomum desuper impendens decerpere. Alter ait, si viderem inundationem Oceani instare, & me involvendum, nisi pedem referrem ocius, malle obrui procellis, quam gressu uno, alterove me recipere. Tertius subjecit, si in trabem tenui filo suspensus essem, & haberem cultrum in manu mea, malle offocari, quam cultrum elevare ad funem præscindendum.

Quæ desidia, etsi incredibilis videatur, sumpta de corporali aut jejunio, aut naufragio, aut suspendio, verissima tamen est in sensu mystico. Malunt alii æternam fame cruciari, quam sese edepulum eucharisticum parare, & accedere; malunt mergi incendiis sempiternis, quam ab imminente periculo per pœnitentiam, ac resipiscentiam se subducere; malunt perire æterna morte, quam funes peccatorum suorum, quibus constricti sunt, rumpere, aut dissuere.

Id non tantum re ipsa, sed & professione sua propalam contestatus est vir indignus.

Luther.
lib. de
mundo,
fol. 70.

indignus nomine, dicens: Si cælum apertum viderem, idque culmo duntaxat de terra sublata mereri possem, eum ne utiquam attollerem. O pudor! ô infania, æternis meritò vindicanda suppliciiis.

Expalleant hi, ne dum serò manus ad capiendum fructum vitæ laxabunt, cum Tantalo poma fugacia captent. Timeant, ne præoccupati procellâ, & turbine judiciorum divinorum ex pe-

lago hujus vitæ, abyſſo æternæ damnationis abforbeantur. Timeant, ne dum funes peccatorum rumpere moliantur, tempus pœnitentiæ non inveniant. Timeant, inquam, ne ab hoste sine manibus devicti, in sempiternam abducantur captivitatem. Quod à nobis avertat, qui tam sedulò nos ad suam vineam invitat, Christus JESUS Dominus noster. Amen.



CONCIO XIII.
IN DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Et conculcatum est.

Luc. 8.

ARGUMENTUM.
TRUTINA DIVINI VERBI
CONTEMPTVS.

I. **E**tsi quævis facta, dictaque Incorporati Numinis summam mereantur admirationem; non minimam tamen meo iudicio, & ipse clamor in hodierno auditus Evangelio, sibi vindicare videtur. A. Testatur de ipsius modestia, ac silentio oraculo est:

Non clamabit nec audietur vox eius foris: Et rursus: Tanquam Agnus coram tondente se obmutescet. Sigalionem factiùs, quàm stentorem profitebitur, & plura edocturus est silentio, atque exemplo, quàm clamore, & eloquio.

Comprobatum id ipsum in Concilio, & à cælestis regni Cancellario evulgatum,